

Item singula et omnia clenodia Sigillum conventuale cum priuilegiis monasterii pecuniis et depositis nobilibus reponantur in archa seu cista firma sub differentibus clausuris. Ad quam praepositus habeat unam clavem, prior aliam et frater consilii terciam secundum statuta.

Fratres missi pro reformatione debebunt interesse singulis et omnibus tractatibus¹⁾ capitularibus nec aliquis presumat celebrare tractatus sine illis seu illis exclusis.

Inhibemus eciam, ne ulli alii visitatores admittantur deinceps, nisi quos capitulum nostrum provinciale et dominus noster reverendus Nunburgensis ordinaverit. Et si qui alii id praesumpserint, illis si aliter desistere noluerint, per remedium appellacionis resistatur.

Volumus eciam, quod omni tempore servetur silentium in oratorio, dormitorio et refectorio secundum statuta et ordinationes nostre communitatis. Et similiter ante primas vel tercias pro tempore et partibus completorum reliquis eciam temporibus et locis silentii videat prior sibi et alii coadiutores sui ut cum tempore fratres pie inducantur et instruantur servare silentium et negligentes proclamentur et corrigantur. Item ordinamus quod prior singulis mensibus²⁾ in conventu legat istas permissas ordinationes et exponat ubi sunt obscure.

Insuper quod singulis dominicis diebus et aliis celebribus legat unum capitulum ex statutis hora competenti post prandium et exponat in 2 et 3^o partibus statutorum. Similiter aliquis fratri Nicolao converso sit consolatorius et informet eum eciam de statutis ipsum tangentibus cum pietate vel alteri committat.

¹⁾ = congregatio, conventus monachorum in capitulo congregatorum. Du Cange, Glossarium. VI (Parisiis 1846), 628 b.

²⁾ Die Bestimmungen der Visitation von 1474 sollten jährlich viermal vorgelesen werden. Lepsius a. a. O. I, 84 und Anm. Vgl. die ähnlichen Bestimmungen bei G. Müller, Visitationsprotokolle als Geschichtsquellen, in: Deutsche Geschichtsblätter XVI (1915), 4.

